

# Petri Nonii Salaciensis de regulis & instru-

mentis, ad uarias rerum tam maritarum quam & cœlestium  
apparentias deprehendendas, ex Mathematicis  
disciplinis Liber II.

## De carta marina nautarum uel planisphærio Cap. I.



**L**usitanorum nauigationes hoc sæculo factas admirabi-  
les esse nemini incompertum est. Lusitani enim Ocea-  
num transnatare ausi sunt: nouas repperunt insulas anti-  
quitati prorsus incognitas, noua littora, noua maria, no-  
uos atq; nunquam uisos populos. Non eos perterrituit in-  
gens calor exultæ zone, neq; immodicum frigus gelidæ, quin continuis  
profectionibus tandiũ nauigarent, donec ultra æquinoctialem ingens  
illud Aphricæ promontorium, quod bonæ spei caput appellant, præ-  
teruecti, iterumq; in Borealem plagam se recipientes, Æthiopicum ma-  
re quod in Iroglodytica est, Arabicum, Persicum, transgressi in Indiam  
tandem appulerint. Inde uerò ultra Gangem, ultra Iaprobānam, in re-  
gionem Sinarum, atq; in insulas ad orientem Solem maximè spectantes  
peruenerunt. Hæc uerò ab eis nec temerè quæsita, nec casu reperta fue-  
runt. Gestabant enim Astronomica instrumenta ad astrorum obserua-  
tiones, tabulasq; motus Solis & Lunæ, à Mathematicis numeris atq; cer-  
taratione designatas: illud præterea uiuum diuinumq; organum priscis  
hominibus incognitum, quod acum nauticam appellant. Cuius qui-  
dem circumferentia quæ Horizontem repræsentat, in partes æquales  
32. diuisa mundi cardines ostendit. Huius instrumenti beneficio terras  
relinquere ausi sunt, & in altum prouehi à littoribus procul, adeò ut ac-  
ciderit aliquando Lusitanorum naues post menses sex in Indiam appel-  
lere, nulla interim uisa insula, nulloq; uiso continente. Prisci uerò nautæ  
cum eo organo carerent, mirandum non est quòd tantum propè oras na-  
uigarent. Ipsum uerò rectilineum orbis planisphærium quo hodie utun-  
tur, quanquam ob parallelorum quam facit æqualitatem, ueram orbis  
imaginem præbere non possit, arti tamen nauigandi quam ipsi exercēt,  
ualde conueniens est. Nam quòd insula una, aut terræ tractus quiuis,  
longior appareat in eo, quam uerè sit, parum referre uidetur ad nauigan-  
tium usum, dummodo locorum distantia secundum partes maximi cir-  
culi, aut stadia, aut miliaria, aut alias quascunq; mensuras cognoscantur.  
Claudius enim Ptolemæus præstantissimus mathematicus quum in pri-  
mo libro Geographiæ distantiam inter Cori promontorium & Sinam